



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1856

CLXXXVIII. Bischof Stephan von Brandenburg transsumirt dem Kloster
Lehnin eine Urkunde des Markgrafen Waldemar, am 11. Mai 1443.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54716)

CLXXXVII. Stephan, Bischof von Brandenburg, ladet zu der Anfertigung von Transsumten einiger Urkunden des Klosters Lehnin alle Interessenten öffentlich ein, am 29. April 1443.

Stephanus, dei et apostolice sedis gracia Episcopus Brandeburgensis, vniversis et singulis diuinorum rectoribus, presbiteris et clericis, tabellionibus et notariis publicis quibuscunque per et infra ciuitatem et dioecesim nostram Brandeburgensem vbilibet constitutis presentibus requisitis Salutem in domino. Ad instantem supplicationem venerabilis patris domini Johannis Abbatis nec non prioris et conuentus monasterii Lenyn dicte nostre dioecesis quarundam litterarum nobis pro parte eorundem exhibendarum, de quarum consumpcione ob earum vetustatem metuitur, Transumpcionem et exemplacionem facere ac iuxta disposicionem juris in negotio huiusmodi rite procedere volentes, presens edictum publicum ualuis ecclesie nostre Brandeburgensis affigendum duximus premittendum. Vobis igitur omnibus et singulis supradictis in virtute sancte obedientie districte precipimus et mandamus, Quatenus presentem nostrum processum et publicum edictum memorate nostre Brandeburgensi Ecclesie ualuis solito more affigentes Citetis peremptorie omnes et singulos, quorum de premissis interest Et qui sua quomodolibet crediderint interesse, Quos et nos peremptorie sic citamus per presentes, ut die Veneris executioni et publicationi presencium continua cum diebus saturni ac tribus aliis diebus proxime sequentibus coram nobis in dicto Monasterio Lenyn in domo abbaciali compareant ad videndum quascunque litteras, priuilegia, Instrumenta et munimenta pro parte eorundem abbatis, prioris et conuentus coram nobis produci et exhiberi ac per nos recipi et videri, transumi et exemplari ac in publicam formam redigi aliaque omnia et singula in hiis et circa ea quomodolibet necessaria fieri et expediri, Siue causas rationabiles, quare premissa fieri non debeant allegaturi et probaturi cum Intimacione, quod siue comparuerint siue non, Nos nichilominus ad receptionem, transumpcionem et exemplacionem huiusmodi aliasque in predicto negotio, prout de jure poterimus, procedemus, cuiuscunque contumacia non obstante, Vos qui requisiti fueritis diem executionis vestre et quitquid in premissis feceritis nobis vestris patentibus et authenticis litteris vna cum remissione presencium litterarum rescribere studeatis. Datum Seyeser Anno domini M^o. CCCC^o. XLIII^o. die Lune, penultima mensis Aprilis, nostro sub sigillo presentibus impenso.

Nach einer doppelten Ausfertigung im Geh. Staats-Archiv. Auf der Rückseite erklärt der Notar Bartholomäus Lowe, daß er dies Patent ualuis et porte occidentali Brandeburgensis ecclesie angeheftet habe.

CLXXXVIII. Bischof Stephan von Brandenburg transsumirt dem Kloster Lehnin eine Urkunde des Markgrafen Waldemar, am 11. Mai 1443.

Noverint uniuersi et singuli, presens transumptum et instrumentum publicum inspecturi, quod nos Stephanus, dei gracia Episcopus Brandeburgensis vocatis primum et per nostras certioris litteras et edictum publicum peremptorie citatis ad id omnibus et singulis, quorum interest et qui sua crederent interesse, in diem hodiernum, in eorundem non comparentium contumaciam,

judicialiter presidentes recepimus vidimus tenuimus et diligenter inspeximus quandam literam olim illustri principis domini Woldemari, marchionis Brandenburgensis, in pergamento conscriptam ejus vero oblongo Sigillo de cera alba in filis viridis et crocei coloris de serico impendente sigillatam pro parte venerabilis patris et domini, domini Johannis, abbatis, necnon Gerardi prioris et conventus monasterii Lenyn nostre Brandenburgensis diocesis nobis exhibitam et presentatam, de cujus consumptione propter ejus vetustatem timebatur eamque post fidedignorum testium coram nobis productorum et juratorum de et super veritate dicti sigilli factam recognitionem sanam, integram et illesam non uiciatam, non cancellatam, non abrasam sed omni profusus uicio et suspicione carentem reperimus, cuius quidem littere tenor de uerbo ad uerbum sequitur et est talis. (Es folgt hiernach die Urkunde vom Jahre 1317, vgl. oben No. CVIII.) Post cujus quidem littere presentationem receptionem uisionem et diligentem inspectionem atque sigilli ut prefertur recognitionem nos Stephanus Episcopus antedictus ad predictorum dominorum Abbatis prioris et conventus Lenynensis coram nobis constitutorum deuotam supplicationem et instantiam eandem litteram et in eadem contenta ad perpetuam rei memoriam per honestum virum dominum Bartholomeum Louwen sacris in decretis notarium publicum infrascriptum transumi et exemplari publicari et subscribi mandauimus volentes et decernentes quod huic transumpto publico tamquam ipsi originali in iudicio et extra iudicium adhibeatur et detur de cetero plena fides quibus omnibus et singulis supradictis tamquam rite et legitime celebratis in iudicio coram nobis auctoritatem nostram ordinationem interposuimus et presentibus interponimus pariter et decretum. Et insuper quia pium est ueritati testimonium perhibere in dicto omnibus et singulis personis tam Ecclesiasticis quam secularibus quas huiusmodi tangit negocium uel tangere poterit quomodolibet in futurum predicta omnia et singula intimamus notificamus et insinuamus et ad uestras et cuiuslibet uestrum noticiam presentium tenore deducimus et protestamur esse uera. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium premissorum presentium transumptum publicum nostri Sigilli fecimus appensione roborari. Datum et actum in monasterio Lenyn supradicto in domo Abbaciali ibidem Anno a natiuitate domini Millefimo quadringentesimo quadragesimo tercio indictione sexta die uero Sabati que fuit undecima mensis May hora terciarum uel quasi presentibus ibidem honorabilibus et discretis uiris fratre Alexio Paschen, fratre Paulo Wegener, fratre Laurentio Dammen ejusdem monasterii sacerdotibus professis et dominis Symone Bernewater, in Netzem, et Liuino Westual, in Trechwitz, sacerdotibus et plebanis, nec non Nycolao Man vicario perpetuo in Ecclesia parochiali opidi Templin, notario publico et Clerico diocesis Brandenburgensis et Thoma Wolters, Frederico Lamprecht, Eggardo de Lindow et Petro Nygendorp, laycis Brandenburgensis diocesis, testibus ad premissa uocatis specialiter et rogatis.

Es folgt hierauf das Notariats-Attest des Bartholomäus Louwe.

L. v. Ledebur Allgem. Archiv VII, 173.